

1426 nomen erexerat, ad ea quæ & ardua omnino & ampla essent, audenda impellebant. Tentavit itaque primo Brixiae arcem proditione occupare, subornatis qui præfectum noctu obtruncarent. Sed quum id parum processisset, principes alterius factionis, quos Philippi nomen invisum habere certo sciebat, multis aggreditur illecebris, imprimisque Petrum & Achillem Advocaros, magno quidem viros animo, sed majori omnino in Philippum odio. Eo utrunque pollicitationibus & hortatione perpulit, ut silentio noctis refracto muro, Venetum intra mœnia urbis acceperint. Qua capta, pauci adversæ factionis nocturno tumultu excitati, in munitiorem urbis partem ad præsidium, quod illis ipsis diebus Philippus Brixiam miserat, trepide se recipiunt. Tenuit Oltrandus, cohortis illius caput, milites ea nocte in occupatam urbem erumpere volentes, ratus fore, si Civitatulam cum arce, quæ superiore jugo residet, cum suis retinuisset, fore ut Venetus paulo post, insigni clade accepta, urbe quam temere occupasset, excedere cogeretur. Habet Brixia arcem, ut dixi, in jugo montis quod urbi imminet sitam, unde in subjectam planitiem per laterum declivia muri duo diversi decurrunt, quorum alter, qui ad ortum spectat, qua parte deductus est, oppidum munit; qui vero ad occasum, domos & ædificia interfecans, quicquid monti subjectum relinquit, *Veteris Civitatulæ* nomen est adeptum. Sed vetus illa jam inde dici cœperat, ex quo tertio ante anno, quam hæc gesta sunt, muro proximo loco Philippi jussu circumducto, recens altera facta est. Vetustiore illam omnis fere Gibellina factio incolebat. Sunt qui dicant, ad primam belli famam Petrum Advocarum cum ingenti agrestium montanorum manu in urbem ingressum, quem postea Mantuanus Princeps cum duobus millibus equitum sit secutus, novissimeque Carmaniola comes cum copiis quas tunc paratas habuit, affuisset. Sed quoquo modo urbs primo occupata est, plane constat, Venetum oppido potitum, continuo ea parte, qua muro ab hoste excludebatur, ne qua subita eruptio ex superiore loco fieret,